DE

IURE VIRGINUM VESTALIUM

commentatus est

Rudolphus Brohm,

In Gymnasio Regio Thorunensi Praeceptor Ordinarius.

Thoruni, MDCCCXXXV.

Typis Henrici Grunaueri.

De iure Virginum Vestalium.

Caput I.

Numa Pompilius, Romanorum rex sanctissimus, quum Vestae templum Romae dedicaret, virginibus, quae sacro cultui Deae operam darent, eximia iura tantosque honores concessit, ut eorum fructu voluptates compensari viderentur, quas ex mariti et liberorum consuetudine aliae feminae hauriebant. Hanc fuisse caussam tot commodorum, quae Numa in easdem benigne contulerit, eumque finem spectasse regem ceterosque, quicunque in augendis virginum Vestalium conditionibus regis vestigia sequuti fuerint, diserte refert Dionysius Halicarnassensis (Lib. II. pag. 127. ed. Sylburg.). *Τιμαὶ δὲ αὐταῖς ἀποδέδονται παρὰ τῆς πόλεως πολλαὶ καὶ καλαὶ, δι' ἃς οὔτε παίδων ἐστὶν αὐταῖς πόθος, οὔτε γάμων.*

Beneficia, quae, ut certis documentis probari potest, ipse Numa virginibus tribuit, duo inprimis fuere, quorum alterum stipendium fuit de publico aerario iis solutum, alterum in sanctitate constitit, qua easdem in omnium opinione venerabiles et pio quodam animo colendas fecit. De

utriusque beneficii origine Livius testis exstat lib. I. cap. 20. his, ut assiduae templi antistites essent, stipendium de publico statuit; virginitate aliisque caerimoniis venerabiles et sanctas fecit.

Plutarchus quidem in Numae vita alia quoque virginum iura describit; sed certum non est, utrum omnia illa iam ab ipso Numa Vestae sacerdotibus data fuerint, an scriptor de Vestae sacerdotio referens, nulla temporis ratione habita, instituta, quae ad eam rem pertineant, promiscue enarret.

Commoda Vestalibus concessa in duo genera dividi posse arbitramur, ut alterum honores, alterum iura complectatur, in quibus describendis, si quis recte et accurate honores et iura sacerdotii illius enarrare vult, temporis quoque servandum est discrimen. Tantopere enim auxit Octavianus virginum dignitatem, ut inde ab huius imperio altera quasi aetas conditionis virginum Vestalium incipere videatur.

Utrumque hocce momentum observabimus et, quum singula describenda sint, primum de honoribus disseremus, qui virginibus Vestalibus decreti fuere ante triumviratum Octaviani.

Ubi fortuito homini obviam venerunt, qui ad mortem ducebatur, is virginis occursu supplicio liberatus est, virgo autem iureiurando testari debuit, se non nisi casu obviam fuisse malefico. Plutarch. Numa cap. 10. *Κἂν ἀγομένῳ τινὶ πρὸς θάνατον αὐτομάτως συντύχωσιν οὐκ ἀναιρεῖται. δεῖ δὲ ἀπομόσαι τὴν παρθένον ἀκούσιον καὶ τυχαίαν γεγονέναι καὶ οὐκ ἐξεπίτηδες τὴν ἀπάντησιν.*

Carpento vehebantur, quem honorem Tacitus commemorat, quum de Agrippina nimium se extollente Annal. XII, 42 narrat: Agrippinam car-

pento Capitolium ingressam esse, qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat feminae.

Si quis lecticam earum aut sellam per lasciviam subiisset, vel vehiculum earum ascendisset, morte plexus est. Plutarch. Numa. 10. ὁ δὲ ὑπελθὼν κομιζομένων ὑπὸ τὸ φορεῖον ἀποθνήσκει.

Auctoritas earum maxima, et in precibus aut quavis alia in re vix repudiata. Cuius auctoritatis clarissima exstant exempla.

Cicero, quum pro Fonteio repetundarum reo caussam diceret, sororis eius Vestalis virginis intercessione usus ita verba fecit: (pro Font. c. 17.) Tendit ad nos virgo Vestalis manus supplices, easdem, quas pro vobis diis immortalibus tendere consuevit. cavete, ne periculosum superbumque sit, eius vos obsecrationem repudiare, cuius preces si dii aspernarentur, haec salva esse non possunt. Sueton. Iul. 1. Caesar per virgines Vestales, perque Mamercum Aemilium et Aurelium Cottam veniam a Sulla impetravit. Idem. Vitell. 16. Suasit (Vitellius) senatui, ut legatos cum virginibus Vestalibus mitterent (ad Vespasianum), pacem petituros. Tacitus. Annal. XI, 32. Messalina Vibidiam, virginum Vestalium vetustissimam, oravit pontificis maximi aures adire, clementiam expetere. Idem Histor. III. 81. Obviae fuere et virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium scriptis eximi supremo certamini unum diem postulabat. virgines cum honore dimissae.

Hac tanta auctoritate nitebatur Claudia virgo Vestalis, quae anno u. c. DCXI, quum pater (vel secundum Suetonium frater), Appius Claudius

Pulcher, consul contra voluntatem populi triumphum ageret, verita, ne violenta manu tribuni plebis de curru detruderetur, ipsa hunc conscendit, consulemque ad Capitolium novo exemplo comitata est. Quod factum Cicero memorat in oratione pro Coelio c. 14: Vestalis Claudia patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebis de curru detrahi passa non est. Et Suetonius, Tib. 2. de gente Claudia disserens, hanc rem ita narrat: Etiam virgo Vestalis fratrem iniussu populi triumphantem, ascenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere cuiquam tribunorum fas esset. Valerius Maximus lib. V, cap. 4. Claudia virgo Vestalis, quum patrem suum triumphantem e curru violenta tribuni plebis manu detrahi animaduertisset, mira celeritate utrisque se interponendo, amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in aedem Vestae duxit.

Lege quadam XII. tabularum vetitum erat, ne homines in urbe contumularentur. Cic. de legg. lib. II. c. 23. Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito; qua lege, quamvis admodum raro viri clarissimi virtutis caussa soluti sint, imperatores tamen et virgines Vestales nihil impeditos fuisse, et intra muros sepulcra habere potuisse, legimus apud Servium ad Virg. Aen. XI, 206. Meminit poeta antiquae consuetudinis: nam ante homines in civitate sepeliebantur, quod postea Duilio consule senatus prohibuit et lege cavit, ne quis in urbe sepeliretur: unde imperatores et virgines Vestae, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulcra. Denique

etiam nocentes virgines Vestae, quia legibus non tenentur, licet vivae, tamen intra urbem in campo scelerato obruebantur. Imperatorum autem, ut dicit Eutropius lib. VIII, c. 2., Traianus solus omnium intra urbem sepultus est.

Religione sacerdotii sui tantam fidem apud omnes adeptae erant virgines Vestales, ut testamenta, tabulaeque gravissimae earum custodiae tradita fuerint. Sic apud Suetonium legimus Caesarem dictatorem testamentum suum demandasse virgini Vestali maximae. Suet. Iul. cap. 83. Idem Aug. cap. 101. Testamentum factum ab eo (Augusto) depositumque apud se, virgines Vestales cum tribus aeque signatis voluminibus protulerant. Tac. Ann. I, 8. eandem rem narrat. Augusti testamentum, illatum per virgines Vestae, Tiberium et Liviam haeredes habuit. Octavianus quidem triumvir Antonii testamentum apud Vestales depositum vi abstulerat, quod Plutarchus Anton. cap. 58. ita refert: *ἀπέκειντο αὗται* (scil. *διαθῆκαι Ἀντωνίου*) *παρὰ ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις, καὶ Καίσαρος αἰτοῦντος οὐκ ἔδωκαν· εἰ δὲ βούλοιτο λαμβάνειν, ἐλθεῖν αὐτὸν ἐκέλευον. Ἔλαβεν οὖν ἐλθών.* Mox autem facinoris huius eum poenituit, quumque vidisset, quanta cum fide virgines haec demandata asservarent, suum quoque testamentum apud illas deposuit.

Tabularum publicarum, quae illis custodiendae traditae fuerint, insigne exemplum est pacis pactio inter triumviros et Sextum Pompeium, de qua re Dio Cassius 48, 37. scribit: *ταῦτα τε οὖν συνθέμενοι καὶ συγγραψάμενοι, τά τε γραμματεῖα ταῖς ἱερείαις ταῖς ἀειπαρθένοις παρακατέθεντο.* Appianus. B. C. 5, 73. *καὶ ταῦτα συνεγράψαντο καὶ ἐσημήναντο, καὶ ταῖς ἱεραῖς παρθένοις φυλάσσειν ἔπεμψαν εἰς Ῥώμην.*

His honoribus Octavianus vel potius triumviri addiderunt,

Ut in viam procedentes lictor antecederet. Quod Plutarchus in Numa cap. X. memorat, tanquam antiquitus iis datum. *Ῥαβδουχοῦνται δὲ προϊοῦσαι.* Dio Cassius autem verius a triumviris hoc illis concessum esse anno u. c. DCCXII., simulque caussam beneficii in virgines delati affert; quaedam enim ex iis a coena sub vesperam domum revertens, quum, quae esset, ignoraretur, vim et superbiam passa est. Dio Cass. lib. 47. cap. 19. *ταῖς δὲ ἀειπαρθένοις* (scil. dederunt triumviri) *ῥαβδούχῳ ἑνὶ ἑκάστῃ χρῆσθαι· ὅτι τὶς αὐτῶν ἀπὸ δείπνου πρὸς ἑσπέραν οἴκαδε ἐπανιοῦσα ἠγνοήθη τε καὶ ὑβρίσθη.*

De Augusti imperatoris in virgines Vestales benevolentia et cura tradit Suetonius Aug. 31. quum in demortuae locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent, adiurasse eum, si cuiusquam neptium competeret aetas, oblaturum se fuisse eam.

Certum et honestissimum locum iis assignavit, quo ludos spectarent. Sueton. Aug. 44. solis virginibus Vestalibus locum in theatro separatim et contra praetoris tribunal dedit. Quod honoris insigne auxit Tiberius. Tac. Ann. IV, 16. decretum enim est, quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret.

Permissum iis est a Nerone, ut ea quoque spectacula viderent, a quibus ceterae mulieres arcebantur. Suet. Aug. 44. Athletarum spectaculo muliebrem sexum omnem submovit. Id. Nero. 12. Ad Athletarum spectacula invitavit et virgines Vestales, quia Olympiae Cereris sacerdotibus spectare conceditur.

Iura et beneficia antiquitus virginibus concessa fuerunt stipendium de publico et ius testandi.

Stipendium de publico iis iam a Numa statutum esse, supra diximus.

Ius testandi sacerdotes sanctae vivo etiam patre habuerunt, nam statim, ubi captae sunt a pontifice maximo ex patria aliave omni potestate exierunt, suique iuris factae sunt. Plutarchus in Numa cap. 10. τιμὰς δὲ μεγάλας ἀπέδωκεν αὐταῖς, ὧν ἐστι καὶ τὸ διαθέσθαι ζῶντος ἐξεῖναι πατρὸς καὶ τἄλλα πράττειν ἄνευ προστάτου διαγούσας, ὥσπερ αἱ τρίπαιδες. Gellius I, 12. Virgo Vestalis simul est capta atque in atrium Vestae deducta et pontificibus tradita, eo statim tempore sine emancipatione ac sine capitis minutione e patris potestate exit et ius testamenti faciundi adipiscitur.

Testes adhibitae in forum quidem venerunt (Tac. Ann. II, 34. vid. infra pag. 10), non autem iurare coactae sunt, quum religionis honos postulare videretur, ut etiam sine iureiurando sanctissimis sacerdotibus crederetur. Exstant praetoris verba ex edicto perpetuo apud Gellium X, 15: sacerdotem Vestalem et flaminem Dialem in omni mea iurisdictione iurare non cogam. Neque iurantes quemquam Deorum Dearumve invocarunt, nisi suam Vestam. Seneca Controv. VI, 8. sacerdos raro iuret, nec unquam, nisi per suam Vestam.

Augustus, Suetonio et Dione testibus, et iura et beneficia Vestalium auxit.

Quum ad praesidium favoremque matrimonii matribus praemia statuisset, eadem sacerdotibus, quae religionis caussa perpetuam virginitatem

servarent, largivit. Dio 56, 10. ταῖς ἀειπαρθένοις πάνθ', ὅσαπερ αἱ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο.

Stipendium amplificavit. Suet. Aug. 31. Sacerdotum et numerum et dignitatem, sed et commoda auxit: praecipue Vestalium virginum.

Restat, ut beneficii et honoris in singulas Vestales collati exempla afferam.

Tacitus Annal. IV, 16. ut glisceret dignatio sacerdotum atque ipsis promptior animus foret ad capessendas caerimonias, decretum esse narrat Corneliae virgini, quae in locum Scantiae capiebatur, HS XX.

Idem scriptor Ann. II, 34. Urgulaniae virginis Vestalis, quam supra leges amicitiae Augusta extulerat, potentiam adeo nimiam civitati fuisse dicit, ut testis in caussa quadam, quae apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missumque esse praetorem, qui domi interrogaret, quum virgines Vestales in foro et iudicio audiri, quotiens testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

Caput II.

Transeamus iam ad poenas, quibus virgines Vestales affectae et coercitae fuerint.

Duo inprimis fuere delicta, quae a virginibus Vestalibus contra sacerdotii sui officia et leges commissa scriptores veteres nobis tradiderunt,

quorum alterum levius in negligenter acta custodia ignis perpetui, alterum multo gravius in minus servata castitate et pudicitia constitit. Utrumque delictum Romanis prodigium fuit magnae et publicae calamitatis indiciumque irae divinae hostiis maioribus et supplicationibus placandae.

Quam acerba quantumque periculum comminari visa sit ignis exstinctio e Livii et Dionysii verbis facile colligas, quorum hic lib. II. (ed. Sylburg. pag. 128.) dicit: *ἣν* (scil. *τὴν σβέσιν τοῦ πυρὸς*) *ὑπὲρ ἅπαντα τὰ δεινὰ Ῥωμαῖοι δεδοίκασιν, ἀφανισμοῦ τῆς πόλεως σημεῖον ὑπολαμβάνοντες, ἀφ' ἧς ποτ' ἂν αἰτίας γένηται.* Livii verba lib. XXVIII. 11. haec sunt: plus omnibus aut nunciatis peregre, aut visis domi prodigiis (quae ante narravit) terruit animos hominum ignis in aede Vestae exstinctus.

Quod prodigium, si culpa virginis, cui vigilia tradita fuit, acciderat, dura et inter ingenuos alioquin inusitata poena ea affecta est; flagris enim caedebatur. Cuius poenae testes habemus Livium, Valerium Maximum, Festum, Dionysium et Plutarchum, qui hanc rationem virgines pro incuria ulciscendi his verbis memorant. Livius, quum loco supra iam laudato (XXVIII. 11.) ignem exstinctum narrasset, ita pergit: caesaque flagro est Vestalis, cuius custodia noctis eius fuerat, iussu P. Licinii pontificis. Quam rem Valerius Maximus post Livium in memoriam revocat, dicens (I. 1. 6.): P. Licinio pontifici maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens aeterni ignis custos fuisset, digna visa est, quae flagro admoneretur. Festus lib. IX., sub voce IGNIS, rem his verbis attingit: ignis Vestae si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur a ponti-

fice. Dionysius de more virgines verberibus castigandi lib. II. pag. 127. ita refert: *τιμωρίαι ἐπὶ ταῖς ἁμαρτομέναις κεῖνται μεγάλαι, ὧν ἐξετασταί τε καὶ κολασταὶ κατὰ νόμον εἰσὶν οἱ ἱεροφάνται, τὰς μὲν ἄλλο τι τῶν ἐλαττόνων ἁμαρτανούσας ῥάβδοις μαστιγοῦντες κ. τ. λ.* Plutarchus quoque, in Numa cap. X. de virginibus Vestalibus ab eo consecratis agens, huius rei mentionem facit: *Κόλασις τῶν μὲν ἄλλων ἁμαρτημάτων, πληγαὶ ταῖς παρθένοις, τοῦ μεγίστου Ποντίφικος κολάζοντος ἔστιν ὅτε καὶ γυμνὴν τὴν πλημμελήσασαν, ὀθόνης ἐν παλινσκίῳ παρατεινομένης.*

Neminem Dionysii et Plutarchi verba perlegentem fugere potest, non solum ob ignis exstinctionem incuria et culpa effectam, sed etiam propter alia peccata, e. g. si in administrandis sacris minus rite aliquid fecerint, verberibus virgines sacerdotes affici potuisse, quum e Livio et Festo pateat, hanc poenam eas semper secutam esse, quotiescunque earum culpa ignis sacer exstinctus fuerit.

Alia vero oritur dubitatio de exactore supplicii, quem Plutarchus ipsum pontificem maximum nominat, quum Livii verba iussu pontificis indicent, non eum ipsum virginem illam flagellasse; quem nodum Dionysii relatio facile resolvere potest. Hic enim officium illud non uni pontifici maximo sed communiter pontificibus assignat, eumque secutus non semper neque necessario virgines ab ipso summo religionum antistite propria manu flagellatas censeo, sed interdum quoque id negotium ceteris pontificibus demandatum fuisse.

Haec autem ingenuae virginis omnibusque venerandae sacerdotis acerba castigatio, quae pro nostri seculi moribus dignitati et honori anti-

stitis minime videtur convenire, salvo tamen pudore exacta est; afficiebantur verberibus virgines, ut Plutarchus meminit, loco obscuro et vestibus quidem exutis, sed velo tectae, ne nudam tangeret mas.

Multo gravius alterum illud scelus fuit ultimoque supplicio vindicatum. Nam virgo Vestalis incesti, hoc enim alterum idque maximum flagitium erat, rea et damnata, capitis poenam subiit.

De quo crimine quaesitor et iudex legibus moribusque constitutus primus rex fuit, omnium religionum antistes, postea pontifex maximus, cui post reges expulsos summa sacrorum cura demandata erat.

Hic, cui praecipuum munus fuit Vestae sacra moderari, virginesque, ut quam accuratissime ea curarent, hortari, interdum vel propter leves minutasque caussas cognitionem de incestu in virgines constituit. Eiusmodi sunt quaestiones, quarum Livius et Seneca mentionem faciunt. Livius IV. 44. Postumia virgo Vestalis de incestu caussam dixit; crimine innoxia, ob suspicionem propter cultum amoeniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet, parum abhorrens famam. Ampliatam, deinde absolutam, pro collegii sententia pontifex maximus abstineri iocis colique sancte potius quam scite iussit. Seneca Controv. VI. 8. Virgo Vestalis scripsit hunc versum: *Felices nuptae, moriar nisi nubere dulce est.* rea est incesti. Etiam Minucia Vestalis teste Livio VIII. 15. suspecta fuit propter mundiorem iusto cultum.

De ratione, qua exercita sit cognitio, nihil fere nobis constat. Tamen ex verbis Livii: VIII. 15. Minucia Vestalis suspecta primo —

insimulata deinde apud pontifices — decreto eorum iussa est — familiam in potestate habere etc. patet, quaestiones de servis habitas esse, quo subsidio veritatis indagandae in caput domini nunquam libera republica, nisi incesta aut coniurationes agebantur, usi sunt quaesitores.

Caussa cognita collegium pontificum culpam vel innocentiam virginis accusatae pronuntiavit. Id, quod decretum fuerat, pontificem maximum exsecutum fuisse opinor, quum e Livio XXXI. 9. intelligatur, morigerari eum debuisse decretis collegii, licet ipse longe dissentiret. Raro autem vel fortasse nunquam omnes pontifices ad facinorum cognitionem convenisse, probatur loco Ciceronis de harusp. resp. cap. 7. Nego unquam post sacra constituta ulla de re, ne de capite quidem virginum Vestalium tam frequens collegium iudicasse; et infra: Religionis expiatio vel ab uno pontifice perito recte fieri potest: quod idem in iudicio capitis durum atque iniquum est. tamen sic reperietis frequentiores pontifices de mea domo, quam unquam de caerimoniis virginum iudicasse. Quin etiam ex alio eiusdem orationis loco cap. 6. tres pontifices ad iudicium iudicandum videntur suffecisse; dicit enim Cicero: de sacris publicis, de ludis maximis, de deorum penatium Vestaeque matris caerimoniis, quod tres pontifices statuissent, id semper populo Romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est.

Sed pontificum iudicia, ut cetera omnia de rebus capitalibus facta, populus tollere vel mutare potuit, quod semel quoque in caussis de incestu virginum Vestalium agendis factum est. Teste enim Asconio Pediano ad

Ciceronis orationem pro Milone cap. 12. populus duarum virginum absolutionem, a pontificibus decretam, irritam fecit, aliumque quaesitorem creavit. Quam rem Asconius ita refert: L. Cassius fuit vir summae severitatis. Ob quam severitatem, quo tempore Sex. Peduceus tribunus plebis criminatus est, L. Metellum pontificem maximum totumque collegium pontificum male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de iisdem virginibus quaereret: isque et utrasque eas et complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus damnavit.

Nullum vero, ut equidem novi, exemplum exstat, quo demonstrari possit, virginem a pontificum collegio damnatam ad populum provocasse, et semel in una illa causa, aut certe non saepe videtur accidisse, ut res a pontificibus iudicata intercedente populo irrita fuerit facta.

Ab antiquissimis temporibus semper, quae virgo Vestalis incesti convicta erat, ea ultimo supplicio affecta est, quod vero non omnibus temporibus eodem modo de sacerdote sumebatur.

Apud Albanos teste Dionysio lib. I. pag. 64. Vestalis stuprum passa ad mortem virgis caesa est, quam poenam de Rhea Sylvia captam his verbis commemorat scriptor: *ὡς δὲ τὴν γνώμην τοῦ βασιλέως ἔμαθον οἱ σύνεδροι ἀπαραιτήτῳ ὀργῇ χρωμένην, ἐδικαίωσαν καὶ αὐτοὶ, καθάπερ ἐκεῖνος ἠξίου, χρῆσθαι τῷ νόμῳ κελεύοντι τὴν μὲν αἰσχύνασαν τὸ σῶμα, ῥάβδοις αἰκισθεῖσαν ἀποθανεῖν, τὸ δὲ γεννηθὲν εἰς τὸ τοῦ ποταμοῦ βάλλεσθαι ῥεῖθρον.* Ex quo loco illum incesti puniendi modum lege videmus constitutum

fuisse, nihilque nos morantur fabulae, quas de servata Romuli matre scriptor retulit. Non vero praetermittendum est, ex illa lege prolem necatam esse, quum, quae poena stupratori subeunda fuerit, sileatur.

Alium contaminatae sacerdotis occidendae morem Numa induxit, statuitque, ut teste Iusto Lipsio Cedrenus (quem ipsum inspicere nulla mihi occasio fuit) refert, incestam sine ulla supplicii pompa lapidibus obruendam esse.

In fragmentis Festi (ed. Lindemanni pag. 209.) legimus haec: probrum virginis Vestalis, ut capite puniretur, vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur, lex fixa in atrio Libertatis cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut ait M. Cato in ea oratione, quae de auguribus inscribitur. addiicit quoque, virgines Vestales sacerdotio exauguratas.

Quae lex de corruptoris quidem supplicio certiores nos facit, non vero, quomodo sacerdos Vestalis punienda et necanda fuerit, ostendit; errant enim, qui verba legis capite puniretur de securi percutienda sacerdote accipere volunt, quum nihil aliud eo significetur, quam occisam esse virginem.

Tandem Tarquinius Priscus, quintus Romanorum rex, sive somnio monitus, sive proprio consilio adductus, certum mansurumque mortis genus invenit. Dionys. lib. III. pag. 200.

Virgo incastitatis accusata primum sacris abstinere iubetur, ne sancta dea polluta sacerdote offendatur, deinde, ubi condemnata est, vittis demptis

vincta lecticae imponitur undique clausae lorisque constrictae, ne vox eius possit exaudiri. In ea pontifice maximo comitante super forum per triste silentium fertur. Et omnes, quicunque obviam fiunt, de via ei decedentes, taciti sequuntur, ob maculatas religiones publicamque calamitatem maximo dolore affecti. Nunquam tam vehementi tamque communi luctu tota civitas perturbata est, quam illo die, quo sacerdos, quae omnium sanctissima sacra curaverat, ad necem crudelissimam ducebatur ad portam Collinam in campum sceleratum. De hoc campo Livius VIII, 15. dicit: credo ab incesto id ei loco nomen factum. Festus sub voce sceleratus (pag. 258 ed. Lindem.): sceleratus campus appellatur prope portam Collinam, in quo virgines Vestales, quae incestum fecerunt, defossae sunt vivae. Intra urbem illum campum fuisse patet ex Plutarchi et Dionysii locis infra laudandis, et e Servio ad Virgil. Aen. IX, 216. Ibi ad sinistram munitae viae (quod constat e Livii verbis VIII, 15. viva sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa scelerato campo.) in aggere, per omnem campi longitudinem porrecto, angustus specus subterraneus factus est, in quo lectus constratus, lucerna viva, urceus aqua repletus, lac et oleum deposita erant. Ubi ad illam speluncam pompa funebris advenit, per lictores infelix virgo vinculis liberatur, dum pontifex maximus manus quidem ad coelum tendens, sed nullam vocem emittens, precationem ad deos facit. Tum velis undique obvolutam eam, ne profani hominis manus sanctum olim corpus attingat, ipse pontifex e lectica tollit et scalis imponit, quibus moritura in conditorium suum descendit. Quo facto pontifices omnes, tanquam rei miserabilis aspectum vitantes, oculos avertunt, dum ministri scalas auferunt, exitumque specus humo obruunt, donec locus, quo condita est virgo, cetero aggeri aequatus est.

Scriptores, qui hoc supplicium accurate depingunt, Plutarchus et Dionysius, ita de hac re agunt: Plutarchus in Numa cap. 10. *Ἡ δὲ τὴν παρθενίαν καταισχύνασα ζῶσα κατορύττεται παρὰ τὴν Κολλίνην λεγομένην πύλην· ἐν ᾗ ἐστί τις ἐντὸς τῆς πόλεως ὀφρὺς γεώδης, παρατείνουσα πόῤ-ῥω· καλεῖται δὲ χῶμα διαλέκτῳ τῇ Λατίνων. Ἐνταῦθα κατασκευάζεται κατάγειος οἶκος οὐ μέγας, ἔχων ἄνωθεν κατάβασιν. Κεῖται δὲ ἐν αὐτῷ κλίνη τε ὑπεστρωμένη καὶ λύχνος καιόμενος, ἀπαρχαί τε τῶν πρὸς τὸ ζῇν ἀναγκαίων βραχεῖαί τινες· οἷον ἄρτος, ὕδωρ, ἐν ἀγγείῳ γάλα, ἔλαιον· ὥσπερ ἀφοσιουμένων τὸ μὴ λιμῷ διαφθείρειν σῶμα ταῖς μεγίσταις καθιερωμένον ἁγιστείαις. Αὐτὴν δὲ τὴν κολαζομένην εἰς φορεῖον ἐνθέμενοι καὶ καταστεγάσαντες ἔξωθεν, καὶ καταλαβόντες ἱμᾶσιν, ὡς μηδὲ φωνὴν ἐξάκουστον γενέσθαι, κομίζουσι δἰ ἀγορᾶς. Ἐξίστανται δὲ πάντες σιωπῇ, καὶ παραπέμπουσιν ἄφθογγοι μετά τινος δεινῆς κατηφείας· οὐδέ ἐστιν ἕτερον θέαμα φρικτότερον, οὐδ᾽ ἡμέραν ἡ πόλις ἄλλην ἄγει στυγνοτέραν ἐκείνης. Ὅταν δὲ πρὸς τὸν τόπον κομισθῇ τὸ φορεῖον, οἱ μὲν ὑπηρέται τοὺς δεσμοὺς ἐξέλυσαν, ὁ δὲ τῶν ἱερέων ἔξαρχος εὐχάς τινας ἀπόῤ-ῥήτους ποιησάμενος, καὶ χεῖρας ἀνατείνας θεοῖς πρὸ τῆς ἀνάγκης, ἐξάγει συγκεκαλυμμένην, καὶ καθίστησιν ἐπὶ κλίμακος εἰς τὸ οἴκημα κάτω φερούσης. Εἶτ᾽ αὐτὸς μὲν ἀποτρέπεται μετὰ τῶν ἄλλων ἱερέων· τῆς δὲ καταβάσης, ἥ τε κλίμαξ ἀναιρεῖται, καὶ κατακρύπτεται τὸ οἴκημα, γῆς πολλῆς ἄνωθεν ἐπιφορουμένης, ὥστ᾽ ἰσόπεδον τῷ λοιπῷ χώματι γενέσθαι τὸν τόπον.* Dionysius vero lib. II. pag. 127. — *τὰς δὲ φθαρείσας αἰσχίστῳ τὲ καὶ ἐλεεινοτάτῳ παραδιδόντες* (scil. pontifices) *θανάτῳ. ζῶσαι γὰρ ἔτι πομπεύουσιν ἐπὶ κλίνης φερόμεναι τὴν ἀποδεδειγμένην τοῖς νεκροῖς ἐκφορὰν, ἀνακλαιομένων αὐτὰς καὶ προπεμπόντων φίλων τε καὶ συγγενῶν· κομισθεῖσαι δὲ μέχρι τῆς Κολλίνης πύλης, ἐντὸς τοῦ τείχους εἰς σηκὸν ὑπὸ γῆν κατεσκευασμένον ἅμα τοῖς ἐνταφίοις κόσμοις τίθενται, καὶ οὔτ᾽ ἐπιστήματος, οὔτ᾽ ἐναγισμῶν, οὔτε ἄλλου τῶν νομίμων οὐδενὸς τυγχάνουσι.*

Caussam, cur tali genere supplicii contaminatas sacerdotes puniri vellent, Plutarchus in quaestionibus Romanis (ed. Francof. pag. 286. E.) hanc refert: Romanos ita instituisse, aut quod, quum mortuos alioquin cremarent, cremari autem eam, quae ignem sacrum non pie custodierit, iniustum esset: aut, quod corpus summis consecratum caerimoniis interficere et manus inferre sacrae mulieri nefas censentes, ipsam quasi ultro mori vellent. *Διὰ τί τῶν παναγῶν παρθένων τὰς διαφθαρείσας ἄλλως οὐ κολάζουσιν, ἀλλὰ ζώσας κατορύττουσιν; πότερον ὅτι καίουσι τοὺς ἀποθανόντας, θάπτειν δὲ πυρὶ τὴν τὸ πῦρ τὸ θεῖον ὁσίως μὴ φυλάξασαν, οὐκ ἦν δίκαιον; ἢ σῶμα ταῖς μεγίσταις καθωσιωμένον ἁγιστείαις ἀναιρεῖν καὶ προσφέρειν ἱερᾷ γυναικὶ χεῖρας, οὐ θεμιτὸν ἐνόμιζον;* —

Et ne hoc quidem modo satisfactum credidere religionibus et superstitioni, ut testatur Plutarchus l. l., quum etiam illius tempore mos obtinuerit, ut sacerdotes ad illum locum accedentes Manibus parentarent. *Καὶ οὐδὲ τοῦτον τὸν τρόπον ἀφοσιωσάμενοι τὴν δεισιδαιμονίαν ἐκπεφεύγασιν, ἀλλὰ μέχρι νῦν ἐναγίζουσιν οἱ ἱερεῖς ἐκεῖ βαδίζοντες ἐπὶ τὸν τόπον.*

Reliquum est, ut singulas virgines crudelissimo illo supplicio affectas, quarum mentionem faciunt rerum Romanarum scriptores, ex ipsis eorum libris servato temporum ordine enumeremus.

Regnante Tarquinio Prisco, PINARIA prima omnium virginum Vestalium fuit, quae viva defossa est, cuiusque propter incestum a rege inventa est poena illa. Dionys. pag. 200. *ἐφωράθη τις ἐπὶ τῆς ἐκείνου βασιλείας ἱέρεια Πιναρία Ποπλίου θυγάτηρ, οὐχ ἁγνὴ προσιοῦσα τοῖς ἱεροῖς. τρόπος δὲ τιμωρίας ὅστις ἐστὶν, ᾧ κολάζουσι τὰς διαφθαρείσας, ἐν τῇ πρὸ ταύτης δεδήλωταί μοι γραφῇ.*

Anno p. u. c. CCLXXI. virgo Vestalis damnata est incesti, de cuius nomine mira inter scriptores dissensio.

Liv. II, 42. Accessere ad aegras omnium mentes prodigia coelestia in urbe agrisque ostentantia minas. motique ira numinis caussam nullam aliam vates canebant, publice privatimque nunc extis nunc per aves consulti, quam haud rite sacra fieri. qui terrores tamen eo evasere, ut OPPIA, virgo Vestalis, damnata incesti poenas dederit.

Dionysius lib. VIII. pag. 556. *ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ πολλὰ δαιμόνια σημεῖα ἐφαίνετο, δηλωτικὰ θείου χόλου. — ζήτησις δὴ μετὰ τοῦτο πολλὴ ἐκ πάντων ἐγένετο, καὶ σὺν χρόνῳ μήνυσις ἀποδίδοται τοῖς ἱεροφάνταις, ὅτι τῶν παρθένων μία τῶν φυλαττουσῶν τὸ ἱερὸν πῦρ, ΟΠΙΜΙΑ ὄνομα αὐτῇ, τὴν παρθενίαν ἀφαιρεθεῖσα, μιαίνει τὰ ἱερά. οἱ δὲ, ἐκ βασάνων τε καὶ τῶν ἄλλων ἀποδείξεων μαθόντες, ὅτι τὸ μηνυόμενον ἦν ἀδίκημα ἀληθὲς, αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφελόμενοι τὰ στέμματα, καὶ πομπεύοντες δι' ἀγορᾶς, ἐντὸς τείχους ζῶσαν κατώρυξαν· δύο δὲ τοὺς ἐξελεγχθέντας διαπράξασθαι τὴν φθορὰν μαστιγώσαντες ἐν φανερῷ παραχρῆμα ἀπέκτειναν.*

Eusebius in Chronicorum textu graeco lib. I. ed. Scaligeri pag. 44. *ἐν Ῥώμῃ ΠΟΡΠΙΛΑ τὶς παρθένος ἐπὶ διαφθορᾷ καταγνωσθεῖσα ζῶσα κατωρύγη.* Eandem Hieronymus in interpretatione latina Eusebii Pompiliam vocat, ed. Scal. pag. 31: Romae virgo POMPILIA deprehensa in stupro viva defossa est. Orosius II, 9. (falso Drakenborch caput 8. laudat): anno post urbem conditam CCLXXV Romae POPILIA virgo ob crimen stupri viva defossa est.

Sed oritur disceptatio de virginibus Oppia sive Opimia, et Pompilia sive Porpilia sive Popilia, utrum his nominibus eadem persona significetur, an diversae.

Livium et Dionysium, quamvis in nomine scribendo differentia occurrat, de una tamen eademque virgine loqui, non dubito, quum et temporis convenientia et omni totius rei narratione facile approbari possit, utrumque scriptorem eandem in animo habuisse. Maior autem difficultas ex tribus illis posterioris aevi scriptoribus nascitur, quos inter se certum est de eadem persona consentire, nam Pompiliae, Popiliae et Porpilae nomina vel librariorum errore facillime confunduntur. Utrum vero hi recentiores eandem virginem defossam dicant, quam priores illi, nec ne, dubitari potest. Nam etsi non tam diversa sunt nomina Oppia et Popilia, seu Opimia et Pompilia, ut non in mentem cuiquam venire possit, omnem nominum differentiam et commutationem sola librariorum vel antiquitus iam scribarum publicorum negligentia genitam esse, tamen non tam similia sunt, ut quisque statim pro comperto habeat, omnes illos scriptores de eadem persona dicere. Ceterum haud scio an Livius et Dionysius, si praeter Oppiam alia quoque virgo eodem tempore defossa esset, duplicis flagitii memoriam nobis tradidissent.

Anno u. c. CCLXXXII. L. Pinario P. Fulvio coss. supplicio affecta est URBINIA. Dionys. lib. XI pag. 597. *ἐν τοιαύτῃ δὲ συμφορᾷ τῆς πόλεως οὔσης τοῖς ἐξηγηταῖς τῶν ἱερῶν γίνεται μήνυσις ὑπὸ δούλου τινὸς, ὅτι μία τῶν ἱεροποιῶν παρθένων τῶν φυλαττουσῶν τὸ ἀθάνατον πῦρ, ΟΡΒΙΝΙΑ, τὴν παρθενίαν ἀπώλωλε, καὶ τὰ ἱερὰ θύει τὰ τῆς πόλεως, οὐκ οὖσα καθαρά. Κἀκεῖνοι μεταστήσαντες αὐτὴν ἀπὸ τῶν ἱερῶν καὶ πρόθεντες δίκην, ἐπειδὴ καταφανὴς*

ἐγένετο ἐλεγχθεῖσα, ῥάβδοις τὲ ἐμαστίγωσαν, καὶ πομπεύσαντες διὰ τῆς πόλεως ζῶσαν κατώρυξαν. Haec ex Scaligeri sententia illa est, quam Eusebius *Σουσουνίαν*, Hieronymus Suniam vocant. Euseb. I. pag. 44. lin. 40. *Ἐν Ῥώμῃ Σουσουνία παρθένος φθαρεῖσα κατωρύγη ζῶσα.* Hieronym. Romae virgo Sunia deprehensa in stupro viva defossa est.

A. u. c. CCCCXIX. MINUCIA virgo Vestalis damnata et viva defossa est, de qua Livius loco iam supra laudato VIII, 15. Minucia Vestalis suspecta primo propter mundiorem iusto cultum, insimulata deinde apud pontifices ab indice servo, quum decreto eorum iussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere, facto iudicio viva sub terram defossa est.

A. u. c. CCCCLXXX. SEXTILIA damnata. Liv. epit. lib. XIV. Sextilia virgo Vestalis damnata incesti viva defossa est. Orosius IV. 2. Tunc quoque apud Romanos Sextilia virgo Vestalis convicta, damnataque incesti ad portam Collinam viva defossa est.

A. u. c. DXXXVI. OPIMIA necata. Liv. XXII, 57. Territi etiam super tantas clades quum aliis prodigiis, tum quod duae Vestales, Opimia atque Floronia, stupri compertae; et altera sub terram, ut mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem consciverat.

Annis p. u. c. DCXXXVIII. et IX. tres simul virgines incesti accusatae et damnatae sunt.

Triplex hocce flagitium mirabili prodigio portendebatur. Lucius Aelius, eques Romanus cum filia et uxore equis vectus est, quum tempestate

subito orta puella fulmine iceretur, quo quidem ipsa laesa non est, vestibus autem omnibus destituta obscoena corporis tegere non potuit; equus quoque, quo utebatur, frenis dissolutis exanimatus procul iacuit. Responderunt vates interrogati, virginibus sacris oblatum esse ingens opprobrium, idque, quum publice innotuerit, equestri quoque ordini dedecus allaturum.

Paullo post Butetii Barri equitis servus quidam, cui Manio nomen fuit, indicium incesti ab AEMILIA patrati detulit, quumque de huius flagitio cognitionem exercerent pontifices, duae aliae Vestalium, LICINIA et MARCIA, eiusdem sceleris noxiae deprehensae sunt.

In pari tamen culpa a collegio pontificum Aemilia damnata, Marcia et Licinia absolutae sunt, illa fortasse, quia secretius peccaverat, hanc L. Crassi, gentilis sui, eloquentia a poena liberavit. Quod iudicium, quum novis prodigiis aucta coelestis irae formido esset, multis sermonibus agitari coeptum est, et Sex. Peduceus, tribunus plebis, pro rostris L. Metellum, pontificem Maximum totumque collegium pontificum male iudicasse criminatus, rogationem tulit: ut extra ordinem populus praetorem faceret, qui de incesto quaestionem exerceret. Creatus est L. Cassius, qui non modo hasce virgines, sed praeterea complures alias damnavit.

Loci, quibus hanc rem scriptores veteres memorant, hi sunt:

Livius epit. LXIII, 5. sqq. Aemilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales, incesti damnatae sunt. Cic. Brutus. cap. 43. L. Crassus defendit Liciniam virginem, quum annos XXVII. natus esset. in ea ipsa caussa fuit eloquentissimus. Macrobius Saturn. I. 10. Fenestella dicit: Aemiliam virginem quintodecimo Calendarum Ianuariarum esse damnatam; deinde adiecit: sequebantur eum

diem Saturnalia; mox ait: Postero autem die, qui fuit tertiusdecimus Cal. Ian., Liciniam virginem, ut caussam diceret, iussam. Plutarchus. Quaest. Rom. ed. Xyland. pag. 284. *λέγεται Ἑλβίαν τινὰ παρθένον ὀχουμένην ἐφ' ἵππου βληθῆναι κεραυνῷ, καὶ γυμνὸν μὲν εὑρεθῆναι κείμενον τὸν ἵππον, γυμνὴν δὲ αὐτὴν ὡς ἐπίτηδες ἀνηγμένον τοῦ χιτῶνος ἀπὸ τῶν ἀποῤῥήτων, ὑποδημάτων δὲ καὶ δακτυλίων καί κεκρυφάλου διεῤῥιμμένων χωρὶς ἄλλων ἀλλαχόθι, τοῦ δὲ στόματος ἔξω προβεβληκότος τὴν γλῶσσαν. ἀποφηναμένων δὲ τῶν μάντεων, δεινὴν μὲν αἰσχύνην ταῖς ἱεραῖς παρθένοις εἶναι, καὶ γενήσεσθαι περιβόητον, ἅψεσθαι δὲ τινα καὶ ἱππέων ὕβριν. ἐμήνυσε βαρβάρου τινὸς ἱππικοῦ θεράπων τρεῖς παρθένους τῶν Εστιάδων, Αἰμυλίαν καὶ Λικινίαν καὶ Μαρτίαν, ὑπὸ τὸ αὐτὸ διεφθαρμένας καὶ συνούσας πολὺν χρόνον ἀνδράσιν, ὧν εἷς ἦν Βουτέτιος βάρβαρος τοῦ μηνυτοῦ δεσπότης, ἐκεῖναι μὲν οὖν ἐκολάσθησαν ἐξελεγχθεῖσαι.* Asconius Pedianus ad Cic. pro Milone cap. 12. L. Cassius fuit summae vir severitatis. ob quam severitatem, quo tempore Sex. Peduceus, trib. pl., criminatus est, L. Metellum, pont. max. totumque collegium pontificum male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de iisdem virginibus quaereret: isque et utrasque eas et praeterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus damnavit. Orosius V, 14. Lucius Aelius, eques Romanus, cum uxore et filia Roma in Apuliam rediens tempestate correptus est: qui quum filiam consternatam videret, ut citius propioribus tectis succederent, relictis vehiculis arreptisque equis filiam virginem equo insidentem in medium agmen accepit. Puella vero ictu fulminis

exanimata est. Sed omnibus sine scissura aliqua vestimentis ademptis, ac pectoris pedumque vinculis dissolutis, monilibus etiam annulisque discussis, ipso quoque corpore illaeso, nisi quod obscoenum in modum nuda et lingua paululum exerta iacuit: equus quoque ipse, quo utebatur, straturis, frenis et cingulis dissolutis passim ac dispersis, exanimis procul iacuit. Post hoc parvo intercessu temporis Lucius Vecturius, eques Romanus, Aemiliam, virginem Vestalem, furtivo stupro polluit. Duas praeterea virgines Vestales eadem Aemilia ad participationem incesti sollicitas contubernalibus sui corruptoris exposuit et tradidit. Indicio per servum facto supplicium de omnibus sumptum est.

A. U. DCCCXXXVI. CORNELIA, virgo Vestalis maxima, iubente Domitiano viva defossa.

Quam rem Suetonius, Plinius minor et Dio Cassius narrant. Sueton. Domitian. 8. Incesta virginum Vestalium, a patre quoque suo et fratre neglecta, varie ac severe coercuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Corneliam, virginem maximam, absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit: stupratoresque virgis in comitio ad necem caedi: excepto praetorio viro, cui exilium indulsit. Plinius Epp. lib. IV, 11. Quum Corneliam, maximam Vestalem, defodere vivam concupisset, ut qui illustrare saeculum suum eiusmodi exemplo arbitraretur, pontificis maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos

pontifices non in Regiam, sed in Albanam villam convocavit. Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit incesti. Missi statim pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. Illa nunc ad Vestam, nunc ad ceteros deos manus tendens, multa, sed hoc frequentissime, clamitabat: Me Caesar incestam putat; qua sacra faciente vicit, triumphavit. Blandiens haec, an irridens; ex fiducia sui, an ex contemptu principis dixerit, dubium est. dixit, donec ad supplicium, nescio an innocens, certe tamquam nocens ducta est. Dio Cassius LXVII, 3. *οὐδὲ τῶν ἀειπαρθένων ἐφείσατο, ἀλλ' ὡς καὶ ἠνδρωμένας ἐτιμωρήσατο.*

A. U. DCCCCLXVIII. CLODIA LAETA, virgo Vestalis, et tres aliae iussu Caracallae imperatoris necatae, qui Clodiam, quantum in ipso fuerat, ante mortem vitiaverat. Dio Cassius LXXVII, 16. *τέσσαρας τῶν ἀειπαρθένων ἀποκτείνας, ὧν μίαν βίᾳ, ὅσα γε καὶ ἠδύνατο, ᾔσχύγκει. ἡ δὲ δὴ κόρη αὕτη Κλωδία Λαῖτα ὠνομάζετο· ἥ τις καὶ μέγα βοῶσα, „Οἶδεν αὐτὸς Ἀντωνῖνος, ὅτι παρθένος εἰμὶ“, ζῶσα κατωρύγη.*

Sed non omnes Vestae sacerdotes, incesti damnatae, vivae defossae sunt, complures enim accusatae et convictae spontanea morte vitam posuerunt.

Earum, quae ipsae manus sibi attulerunt, prima fuit CAPPARONIA a. u. CCCCLXXX., de qua Orosius IV, 5. Capparonia, virgo Vestalis, incesti rea suspendio periit; corruptor eius consciique servi supplicio afflicti sunt.

Secuta est Capparoniae exemplum TUCCIA a. u. DXIX., de qua Liv. epit. lib. XX. Tuccia, virgo Vestalis, incesti damnata est. Marianum Scotum, quem de Tucciae morte referentem Freinshemius (supplem. Livian. lib. XX, 16.) laudat, inspicere non potui. Freinshemii verba haec sunt: At Romae Tutia, virgo Vestalis, incesti damnata, eo maiore probro, quod consuetudinem stupri cum servo habuerat, sua se manu interemit.

A. u. DXXXVI. FLORONIA mortem obiit. Livius XXII, 57. (v. supra pag. 20.) Floronia, Vestalis, stupri comperta, sibimet ipsa mortem consciverat. L. Cantilius, scriba pontificis, qui cum Floronia stuprum fecerat, a pontifice maximo eo usque virgis in comitio caesus erat, ut inter verbera exspiraret.

Unum modo, quantum scio, apud veteres scriptores exemplum exstat, incestas Vestales veniam impetrasse eligendi mortis genus, idque factum est Domitiano imperatore ante necem Corneliae Virginis, quam rem Suetonius Domit. 8. his verbis attingit: OCELLATIS sororibus item VERONILLAE liberum mortis permisit arbitrium.

Pro antiquitatis indole et prono ad miraculorum fidem saeculo non defuere narrationes singularis tutelae et auxilii, quae falso accusatis virginibus Dea mirifice praebuerit. Cuius rei duo exempla tradit Dionysius (lib. II. ed. Sylb. pag. 128. 129.), quae in fine iam opusculi non ab re erit commemorare.

AEMILIA, virgo Vestalis, ob ignem incuria et imprudentia novitiae cuiusdam sacerdotis exstinctum suspecta facta, et cognitio habita est a pon-

tificibus, utrum illa parum caste sacra tractasset. Tum Aemilia ad aram manus tendens et invocata Dea cingulum avulsum altari iniecisse dicitur; quo facto fama est, preces illius exauditas et ex cinere in altari iacente, in quo ne scintilla quidem superfuisset, linteum incensum, sanctumque ignem suscitatum esse.

Alterum portentum mirabilius etiam videtur, cuius et Augustinus de civitate Dei X, 16. mentionem facit. TUCCIA virgo falso incastitatis accusata et caussam dicere iussa, re ipsa se crimina depulsuram promisit, et statim Deam, ut dux sibi viae fieret, invocans ad Tiberim prodiit, ubi in vacuo cribro aquam hausit, eamque in forum ad pontifices tulit.

Simile miraculum Aurelius Victor de viris ill. 46. narrat. Quum enim bello Punico secundo a. u. DXLVIII. Idaeae matris simulacrum a Pessinunte Romam arcessi libri Sibyllini iussissent, navisque, qua Dea portabatur ad ostium Tiberis subito staret, nullisque viribus moveri posset, CLAUDIA, virgo Vestalis, de cuius pudicitia falso dubitabatur, Deam, ut testis sibi castitatis fieret, orasse et sola navem zona alligata traxisse fertur. Augustinus autem, de civitate Dei X, 16. eandem rem breviter memorans, Claudiam non virginem Vestalem, sed tantum mulierculam vocat; et Livius XXIX, 14 Claudiam Quintam inter primores urbis matronas referens, nihil de navi per zonam mulieris tracta dicit.